

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Friedrich Clatte Leonhard Töbing

Disputatio Iuridica De Testamentis

Rostochii: Richelius, [1646]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731861884>

Druck Freier  Zugang



Testamente

R. U. zw. 1646.

Clatte - Töting.

De
TESTAMENTIS. 57
 Quam

Divino invocato auxilio,

*Consensu Nobilissimi ac Amplissimi I^{CT}orum
 Collegii, in florentissima ad Varnum Academia,*

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO CLAT-
TEN, J. U. D. Dn. Hospite, ac Fautore
 suo observando,

*Publicè Eruditorum placidae disquisitionis
 subjicit*

LEONHARD TÖBING Lünæb:

*In Auditorio majori boris consuetua
 matutinū die 25 July. 1646.*

— * — * — * —

ROSTOCKI

Typis Johannis Richelii, Senat: Typogr.

1646

Diligentissimo Juridicis.

De

TESTAMENTIS

Divisio iuracis testis.

Constitutio testis. Iuris Conservatorum.

DN. ERIDERICUS CLAVI

LENIUS D. FRANCISUS MAGISTER

Ex officina typographica

Folio eiusdem quod est de legibus et consuetudinibus

Imprimatur. Rostock. 1710.





THESIS I.

Successionum jure civili duplex conditio est; nam ex regulari-
ter vel ex testamento, vel ab intestato ad nos deferuntur. §. f. I.
per quas pers: cuig, acq: l. in plurim 70. ff. de acqvi. vel omitt.
bered: Qvum verò potior sit causa testamenti, & qvam diu suc-
cessor ex testamento speratur, tamdiu legitimus, hoc est ab intestato
veniens non admittendus l. qvarndiu 39. ff. de acqvir: vel omit:
bered: & l. qvamdiu 89. ff. de R. i. Igitur nos neglectā jam legitimā
successione, de testamentaria hac vice, cum Deo, acliuri sumus.

II.

Et appellatur testamentum, ex eo qvòd testatio mentis sic
pr: l. b. t. non qvòd sit duplex verbum, à mentis contestatione, sed
qvòd ipse sonus vocabuli testationem mentis insinuet. Mentis itaq;
vocabulum hic ad differentiam aliarum testationum, qvæ variae &
multiplices sunt, & ex diversis oriuntur causis adjectum est. Vesentib;
adff. n. 3. b.

III.

Definatur verò testamentum à Modestino in l. i. f. b. t. qvòd
sit voluntatis (h.e. mentis, qvia integritas mentis, non corporis fa-
nitas in testante exigenda est. l. 2. b.) nostræ (qvoniam testamento-
rum jura ipsa, perse firma esse oportet, nec ex alieno arbitrio, sed ex
propria voluntate pendere debent. l. illa institutio 32. ff. de hered. in-
stit: Ulp: in fragm: l. t. 22. §. incerta persona 4. ne conditio institu-
tionis, ad secretum alienæ voluntatis collata, captatoria & ob id vitio-
sa sit. l. 70. captatoria ff de hered: instit: justa (i. e. illibata, intacta,
ac omnibus modis rata Harpr: pr. l. b. n. 56) Sententia (vocabulum
sententiaæ hic generis loco positum est. Qvippe sententia dicitur non
taniūm testatoris, sed qvoq; legislatoris, senatus consulti, & judicis,
§ responsa 8. Inst: de J. N. G. & C. l. contra legem 29. ff. de L. l. qua-
lem 19 §. 1. ff. de recept: qvi arbitr. recep. l. ex sententia 29. ff. de ref:
A tute.)

tut.) de eo qvod qvis post mortem suam fieri velit (hæc verba indicant testamentum non nisi post mortem demum valere & perfectionem suam accipere : ambulatoria siquidem est voluntas testatoris, usq; ad supremum vitæ exitum l. 4. ff. d. adimen. legat.

IV.

Jure civili antiquo duo testamentorum genera in usu fuerunt.
§. 1. &. 2. l. b. Qvorum altero usi sunt Qvirites tempore pacis, qvod Calatis Comitiis nuncupabant, eò qvòd in concione populi fieret, A. Gell. l. 15, c. 27.

V.

Altero autem utebantur, ob dubiam bellum aleam, qvum ad prælium faciendum in aciem vocabantur ; dicebaturq; testamentum in procinctu. Cis. l. 1. d. Orat. c. 58. & l. 2. d. nar. Deor: c. 3. Ulp. in frag: t. 20. §. 1. à militibus præcinctis, & ad pugnam cum hoste paratis. A. Gell. d. jam. 6.

VI.

Qvum verò prædictis jam modis foeminæ testari non valerent, (qvia Comitorum & militia juribus destituta erant) & aliàs sèpissime eveniret, ut multi mortalium repentina & subitaneo morbo cor- repti, decederent intestati. Neq; enim calatis comitiis testabantur, qvia nondum comitorum tempus instaret, utpote qvæ bis duntaxat in anno instituerentur, qvòd populus difficulter conveniret l. 2. §. de. inde 9. ff. de ll. Neq; item in procinctu qvòd bellum non esset ; ideo abolitis his duobus testamentis, tertium genus, qvod per z & libram sit, successit. d. Ulp. d. §.

VII.

Hocq; testandi genus siebat mancipatione. i. e. imaginaria venditione, 5. testibus & libripende, civibus Romanis puberibus præsentibus, ut & eo, qvi familia h. e. hereditatis emtor dicebatur
§. 1. l. b.

VIII.

Sed qvum hoc genus testandi, qvod ex jure civili, imaginaria venditione siebat, tam 1. de superstiosis illis fictæ venditionis ceremoniis, qvam 2. de metu infidiarum vitæ testatoris, qvòd hereditatis emtor sciat, se heredem eo mortuo futurum, Theophil: Inst: b. §. paul. latine

latim etiam in usu esse desineret §. i. Inst: b. s.; Ideo Prætor formam aliam testamentorum faciendorum introduxit, desiderans septem solummodo testes, eorumque signa §. 2. Inst: b. s.

IX.

At vero jure novo, jus civile & honorarium in unam consuetudinem, additis, non nullis ex Principum constitutionibus, jungi coepit, §. 3. Inst: b.

X.

Ratione causæ efficientis remotæ, testamentum ad jus gentium referuntur; nam ex hoc jure (gentium nimis) testamenta commendationesque morientium naturæ sunt, inquit Rex Oratorum & latine linguae illustrator Cic. l. 3. d. fin. cap. 20.

XI.

Ad jus civile autem eatenus pertinet, quantum ab eo certam solennemque formam prescriptam habet, cui testator suam voluntatem omnino accommodare tenetur, l. nemo potest ss. ff. d. leg. i. illud enim testamentum propriæ dicitur, quod jure perfectum est, secundum Ulp. in l. testamentum i. §. 1. f. testam. quemadmodum operatur.

XII.

Propinqua testamenti causa, est testator. Et notandum quod omnes testari valent, qui non prohibentur; iniquum siquidem est monente Paullo, testamenti factionem hominibus sanz mentis auferre. l. ex facto 43. in pr. ff. de vulg. & pupill: subst:

XIII.

Testari quidam prohibentur aut lege naturæ, aut lege civili; Legem naturæ impediuntur dupliciter, vel 1. ob animi, vel 2. corporis vitium.

XIV.

Ob animi defectum jure gentium non permittitur impuberibus ultimum elogium confiscare; sive id jure communi sive militari fiat, quoniam non stabilem mentem adepti sunt §. præterea l. quibus non est permisum facere testam: l. licer. fin. C. d. test. milit. l. si frater 4. C. qui test. fac. poss. & illorum ætas, quid videat ignorat l. l. quoniam C. de fals. mon.

A 2

Idq;

XV.

Idq; adeo verum, ut ne autore tute testari queant, propterea quod voluntas testandi ab alieno arbitrio pendere non debat l. illa in scriptio 32. ff. d. hered: insit. Puberes autem quando postremum anni 14. vel 12. diem attingunt, recte suprema ordinare posse, testis est illp. in l. à qua etate. s. ff. qui test: fac. poss.

XVI.

Sic furiosis & mente captis impedit defectus animi, judicij contestationem facere; licet postea compotes mentis facti decesserint. S. praterea. i. Ins. qvib. non est permis. fac. test. l. hoc colore 2. ff. d. inoff. test: l. filius. 16. l. 17. l. 20. S. 4. ff. qui test. fac. poss. l. furiosi 40 ff. d. R. J. In suis indiciis verò. d. S. praterea u. l. furiosum. 9. C. qui test. fac. poss. Sicut & ante furorem testari, furiosis minime interdictum. d. S. i. l. l. S. si qvū 9. ff. d. bonor. poss. secund: tabul.

XVII.

Prodigi qvoq; qui libidinum omnium vitiorumq; sunt servi. l. fin. S. 2. C. d. sent. pass. & neq; tempus neq; finem expensarum habent, sed bona sua dilacerando & dissipando profundunt l. l. ff. de Cur. fur. testari nequeunt S. item. 2. Ins: qvibus non est perm. fac. test. Nisi testamentum interdictione sit vetustius d. S. d. l.

XVIII.

Sicuti ebrius contractum nullum celebrare, Glos. ad. C. uniu- quūg; verb. quod ebrius caus. 28. q. 4. c. sane. caus. 15. q. 1.: ita nec judicij sui voluntatem supremam relinquare potest: quatenus nimirum ebrietas usq; adeo est, ut mentis statum evertat. c. vinolentum 6. diff. 35. ejusq; exilium inducat. c. à crapula 14. Ext. d. vit. & honest. Cler. l. in eo 2. ff. b. t.

XIX.

Hominis qvoq; irati (qui sc. exivit de potestate, h. e. de consilio, de ratione, de mente; quiq; cupit ei, à quo Iesus videatur, quām maximum dolorem inurere, autore Cic. Tus. 3. c. 5. & 9.) testamentum non valere, recte statuimus. arg. l. qvicquid 48. ibid. Hippol. & Collib. ff. d. R. J.

XX.

Hactenus de iis qui lege naturæ ob animi vitium, testamentum
CON-

conficere prohibentur. Jam despiciamus de illis, qui ob corporis vi-
tium testari non valent.

XXI.

Propter corporis itaq; vitium lege naturæ voluntatem supre-
mam facere nequeunt muti literarum ignari. item muti & surdi
naturâ. Item muti & surdi ex accidenti literas nescientes. §. surdi
3. Inst: qvib[us] non est perm. fac. test. l. discretu[us] co. C. & l. qui in posse-
state. 6§. 1. ff. h. t.

XXII.

2. Coeci etiam jure institutionum in scriptis testari non possunt
§. cœciw. 4. l. quib. non est perm: fac. test. Jure autem veteri coeci si
accire adhibitos testes, & audire sibi testimonium perhibentes poten-
tant, recte testabantur. test. Paul. libr. 3. sent. 1. 4§. cœciw. 4. Quem-
admodum & jure Codicis per nuncupationem, duntaxat observatis
qvibusdam peculiaribus solennitatibus, testamentum condere pos-
sunt. l. hac consultissima 8. C. qui test. fac. poss.

XXIII.

Inter hos qui lege naturæ testari prohibentur, non reputantur
senes l. senium. 3. C. qui test. fac. poss. non valetudinarij. l. 2. ff. b. t.
non moribundi, modò articulate loqui possint, l. jubemw 29. vers. si
enim talis. C. d. test: ut per sermonis intellectum liqveat ipsorum vo-
luntatis intentio. l. qvoniām 15. C. d. tit. non is qui manum amisit, au-
tore Paull. in l. qvrimanw. 10. ff. b. t. non Eunuchus. l. Eunuchū. 5. C.
qui test. fac. poss. sive castratus l. sed & quasitum 6§. 1. ff. de liber. &
postum. non spado aut alius qui facile generare non potest d. l. 6. in pr.
non hermaphroditus. d. l. 6§. 2. d. t.

XXIV.

Sequitur jam de iis personis qui lege civili ultimum elogium re-
linquere nequeunt, qvòd sit ob duas præcipuas causas; potestatem ni-
mirum & statum. Ob potestatem prohibentur filij familias, adeo ut
ne permittentibus parentibus illud facere possint, pr. Inst. qvib. non
est permis. fac. test. l. qui in. 6. ff. & l. Senium 3. Cod. b. t.

XXV.

Prædicta verò regula perdit officium suum l. in filiofam: milite
castrense peculium vel quasi habente prin. l. qvib. non est perm. fac.
test.

A 3

test. l. fin. C. qvitest. fac. poss. qui in castrensi peculio vice patrisam fungitur l. ug. 2. ad ff. SCt. Maced: Hic autem notandum quod qui qvansi castrense habet peculium, posit quidem testamentum condere, sed non alio quam communi & licito consueto ordine observando. l. fo
vers. in tali C. de inoff. test. & l. ult. C. qui test. fac. poss.

XXVI.

2. Falsit in filiofamil, Presbytero &c. qui de bonis in potestate paterna constitutus jure testatur Autb: Presbyteros C. d. Episcopis & Clericis. 3. In filiofam: testante de bonis adventitiis ad pias causas patris consensu, pro ut Doctorum auriga Bart: ad l. qui in potestate 6. ff. b. t. n. f. tradit. 4. Exeipe quoq; filiumfam, cui testandi facultas ab imperiali splendore concessa l. si quando 35. C. d. inoff. test. Item 5. eum qui super donationibus factis à Serenissimo Principe, vel à piissima Augustate testatur. l. cum multa. 7. C. d. bon. qvilibet: 6. Filiumfamilias statuto testamenti factionem habentem Bart: ad l. si qvaramus 4. ff. b. n. s.

XXVII.

Præterea supremam mentem relinqueret prohibetur servus. l. 6. & 19. ff. b. t. l. quod attinet 32. ff. d. R. J. Vasallus super ipso feudo l. F. 8. Exc: nisi id sit mere hereditarium 2. F. 28. vel consuetudine introductum, quod de feudo suo vasallo libere testari liceat, teste summo Germania Zasio in feud: p. 8. n. 63. Item Monachus Autb, ingressi, C. d. 58. Ecclesi: Novel. s. c. illud quoq; 5. Fœmina tamen hodie secundum Ulp: in l. a qua etate 5. ff. b. testari recte potest.

XXVIII.

Intestabiles ob statum sunt captivi apud hostes l. ejus 8. ff. b. t. §. f. l. Q. N. E. P. F. T. Paul. l. 3. sent. t. 4. §. qui ab. g. ; adeo ut ne jure militari idonei reputentur. l. facere. 10. ff. d. test. milit.

XXIX.

A latronibus verò vel piratis capti: item illis qui apud exterios legatione funguntur, quum liberi maneant, juststandilege prohibitum non est, l. postliminium 19. §. 2. ff. d. capt. & postlim: revers. l. qui a latronibus 13. in pr. & §. 1. ff. b.

XXX.

Idem juris est in obside quod in captivo apud hostes , l. obsides 11. ff.

n. f. b. l. Divis 31. ff. d. Jur. fisc. Nisi i. à Principe testandi facultatem habeat. d. l. obfides. & 2. accepto usu tegæ Romanæ, ut civis Romanus semper egerit. l. sed f. 32. ff. d. Jar. fisc.

XXXI.

De statu suo errantes, (quid juris autem in militibus v. th. 85.) testari quoq; nequeunt, afferente. Ulp. in l. de statu 15. ff. b. 8.

XXXII.

Capite damnato etiam potestas ultima condendi non immerit ab Ulp. in l. si qvū 6. §/ed si 6. ff. d. injust. rapt. irrit. fact. test. auferatur. Fallit. i. si quis fuerit illicite, & 2. à non competente judice damnatus d. l. §. quid. si 10. d. t. 3. Si provocatio à sententia facta est. d. l. §. bi autem. 8. d. t.

XXXIII.

Sciendum autem inveteratà per Germaniam consuetudine in causis criminalibus capitalibus appellations amplius non concedi. Ord. Cam. p. 2. t. 28. §. item nach dem anch. Myns. cent. 4. obs. 41. § 42. Noe Meurer ad ordine Cam. part. 3. n. 13e p. m. 117.

XXXIV.

Amittunt etiam factionem testamenti, qui ad bestias aut in metallum damnantur, Gajus in l. eos qvi. 8. §. 1. & f. ff. b.

XXXV.

Porro perdunt quidam jus testandi ob crima publica perpetrata: ut crimen perduellionis, seu læse Majestatis committens. l. ex iudiciorum. 20. ff. d. accusat. l. f. ff. l. qvñqvū 5. §. 4. & l. ult. C. ad l. Jul. majest; illius enim testamentum nec inter liberos ullo modo valere potest d. l. qvñqvū 5. §. filij. l. C. d. t. Repetundarum d. l. ex iudiciorum l. 2. ff. & l. 2. C. ad L. Jul. repet. l. ult. ff. ad L. Jul. pecul. Peculatūs & de residuis damnatus d. l. ult. ff. d. t.

XXXVI.

Lex quoq; ipsa hæreticis & apostatis prohibet testamenti factio nem. l. Manichaeos 4. §. ergo s. C. d. baret. & Manich. l. f. qvū 2. & l. f. C. d. apost. Nisi testentur inter liberos orthodoxos, vel iis descientibus, inter agnatos vel cognatos catholicos. Qyòd si ex filiis alij sunt Ecclesiæ catholicæ communicantes, alij verò ab ea separati, omnem parentum substantiam ad filios tantum Catholicos pervenire debet;

debet, licet contraria testatoris inveniatur voluntas, inquit Imperator noster in Novel. 115. c. 3. §. si quia es predictus. 14. vers. generalem autem. & facit. Novel. 118. c. 6.

XXXVII.

Improbum scenus exercentes, & manifesti usurarij aliter jure Canonum testari nequeunt, nisi idoneam de restitutione facienda cautionem praealiterint. c. 2. d. usur. in 6.

XXXVIII.

Damnatus ob carmen famosum, ex lege intestabilis esse perhibetur: ergo nec testamentum facere poterit, nec ad testimonium adhiberi. Ulp. in l. à cui. 18. §. f. ff. b. & l. lex Cornelius. 5. §. si q. u. 9. ff. d. injur. & fam. libell. l. ob carmen 21. in pr. ff. d. test. De poena carminis vel libelli famosi v. jure civili. l. un. C. d. fam. lib. jure Carolino. const. crim. art. 110.

XXXIX.

Incestas & nekarias nuptias contrahentium testamentum, regulariter non valet, jura sunt manifesta in l. si quia incesti. 6. cum Auth. incestus & auch. seqv. C. d. incest. & inutile. nupt. Limitationem tamen v. in all. l. si quia incesti: inultò minus sodomitæ diabolica instigatione ipsi naturæ contraria agentis, suprema subsistunt. Nov. 77. & Novel. 441. c. a adulterij malum v. causa. 38. q. 7.

XL.

Ratam quoq; voluntatem illorum conservari leges vetant, qui ob conscientiam criminis manus violentas sibi intulerunt. l. si quia 6. §. ejus. 7. ff. d. injust. rupt. irrit. l. in fraudem 45. §. ejus 2. ff. de jur. fisc. l. f. in pr. ff. de bon. eur. qui ant. sentent. l. 1. & 2. C. cod.

XLI.

Peregrinis factio testamenti etiam lege est adempta Ulp. in fragm. r. 20. § Latinus Junianus 14. r. Gottrof. ad l. 1. C. d. hered. ins. Item iis quibus aquâ & igni interdictum l. ejus 8. §. si cui. 1. ff. b. Sic deportatis d. l. 8. § 2. non autem relegatis d. l. §. 3. l. 2. ff. d. publ. jud.

XLII.

Ab Imperio Romano proscripti, quum similes deportatis habentur, non est quod testamenti factio gaudeant Gail. d. P. P. e. r. n. 24. Deniq; Patris fam, qui alteri se arrogandum dedit, testamentum

tum

sum quod ante arrogationem fecit, sit irritum. **S.** alio autem, 4. **inf.**
qvib. mod. test. infirm. l. qvi in potestate. 5. ff. b. s.

XLIII.

Expositis personis testameatificationem habentibus vel non ha-
bentibus: proxima erit inspectio de forma testamentorum, & solen-
nitatibus in iis necessariis.

XLIV.

Notandaq; hic est divisio testamenti, in solenne & perfectum,
cujusmodi solet plerumq; esse paganum: & minus solenne & im-
perfectum, ut est militare. Et solenne testamentum vicissim perhi-
betur esse aut scriptum, cuius de solennibus prius acturi sumus, aut
auncupativum.

XLV.

Primum itaq; testamenti scripti solenne est ipsa scriptura, ut se-
testamentum scribatur, unde & scriptum dicitur: & perinde est sive
illud ἀλογεαφομ sive ἀλογεαφομ sit l. bac consultissima. 21. in pr.
l. dictantibus. 22. l. cum antiquitas. 23. f. C. d. testam: & l. Domitius
27. ff. b. Sive latinè sive græcè d. l. bac consultissima. 21. f. C. d. testam.
aut qualibet alia lingua peregrina scribatur; dummodo fiat integris
literis, non notis l. sed qvum, 6. f. f. d. bonor. pass. Aut b. qvad sine
C. b. Nov. 107. c. l.

XLVI.

Parum etiam favore ultimæ voluntatis interest in qua materia,
modò ad id idonea, scribatur testamentum **S.** nihil. 1. 2. l. b. l. l. l.
charta. 4. ff. d. bon. pos. sec. tab. Certumq; est unum testamentum
duobus aut pluribus codicibus, exemplis sive tabulis conscribi posse.
S. pen. Inf. l. unum testamentum. 24. ff. b. t. d. l. 1. **S.** si qvù in duobus
s. ff. d. s.

XLVII.

Secundum testamenti in scriptis solenne est, septem ad id spe-
cialiter rogatorum vel certioratorum, l. beraes. 21. **S.** in testam.
2. ff. b. Rec. Imp. Coloni. sub Anno 1512. tit. von Testament. **S.** es ist auch
im Testament nötig/ suæq; spontis, non coactorum testium, l. qvite-
stamen.

B

ſtamento. 20. §. f. d. i. präſentia. § ſed qvum. 3. l. b. l. hac consultiſſi-
misa. 8. C. qui teſt. fac. poſſ. l. ſi uniu. 12. l. hac consultuſima. 21. l. in teſta-
mentu. 26. l. cum antiquitas. 22. §. cum autem. 1. l. noſtram. 30. C. d.
teſtam.

XLVIII.

Numerum autem hunc septem teſtium non tantum de pro-
batoria ſed etiam eſſentiali forma ipſius teſtamenti eſe, recte cum Im-
peratoribus aſerimus. int. ſi uniu. 12. l. hac consultiſſima. 21. §. ex imper-
fecto. I. & §. per nuptiacionem. 2. C. d. i.

XLIX.

Nec ſufficit. 7. teſtes rogaſos interveniſſe coram teſtatore: niſi
tales quoq; intervenerint qui ſunt idonei, i. e. cum qvibus eſt teſta-
menti factio, nempe qui vel ipſi teſtamentum facere, vel ex teſta-
mento alieno qvid capere poſſunt. §. teſtes. 6. l. b. dict. Rec. Imp. d. t. §.
die Notarien. l. filiuſam. 6. in pr. & §. i. ff. b. l. non minu. 31. ff. do bered.
inſtit.

L.

Nontamen omnis qui teſtamenti factio habet teſtis hic
adhiberi poſt: ſed vel gentium vel civile jure qvidam à teſtimonio
arcentur.

L I.

Gentium jure ad teſtimonium adhiberi prohibentur vel ob æ-
tatem, ut impuberis. §. 6. l. b. l. ſi filiuſam. 19. & l. 20. ff. b. vel ob
morbum, ſive animi, ut furiosi. d. §. 6. niſi intermiſſo furore. l. qui
teſtamento. 29. §. 4. ff. b. ſive corporis, ut muti, ſurdi, cœci, d. §.
6. l. b.

L II.

Excluduntur à teſtimonio teſtamentario qvidam jure civili, vel
ob cauſam publicam & qvidem in totum; vel qvidam ob cauſam
tantum privatam, in eo de quo agitur teſtamento, teſtimonium ferre
prohibentur.

In

L III.

In totum ob causam publicam prohibentur quædam personæ à testimonio testamentario, ob statum civitatis quo carent, ut peregrinus, deportatus. l. bac consuliſtma. 21. in pr. C. d. testam. §. 1. qvib. mod. jw. pat pot. foly. servus. §. testes. 6. l. h. l. qvi testamento. 20. §. servus. 7. h. nisi tempore facti testamenti omnium opinione liber habitus fuit. §. sed qvam. 7. l. b.

L IV.

Qvod autem de jure civili in servo obtinet, idem constituit. ab. Rec. Imp. Colen. de Anno 1512, de homine proprio, quem à testimonio in testamento in scriptis excludit. 1. von Testament. §. die form et nes Testaments.

L V.

Arcentur 2. à testimonio in totum quidam, ob morum improbitatem, ut prodigus cui bonis interdictum est. §. testes. 6. l. b. l. à cui 18. ff. b. 3. ob sexum ut mulier. d. §. l. qvi testamento. 20. §. mulier. 6. b. an autem hermaphroditus ad testamentum adhiberi possit, qualitas sexus in alescentis ostendet. l. repetundarum. 15. §. 1. ff. d. testib. præd. constir. Maximil. Colon. d. anno: 1512. 1. von Testament. §. die Notarien. 4. ob peccatum, ut qui publico judicio damnatus est. l. quasitum 13. jung. l. 2. ff. d. testib. veluti adulterij. l. scio. 14. peculatus, repetundarum. d. l. quasitum. l. repetundarum. 15. d. t. l. qvi testamento. 20. §.. cum qui. §. ff. b. proinde & is quem leges jubent improbum intestabilemque esse. d. §. testes. 6. h. e. qui publico judicio ita damnatus est, ut nominatim in lege jubeatur esse intestabilis. l. cum lege. 26. ff. b. qualis est ob carmen famosum damnatus. l. à cui. 18. §. l. ff. d. t. l. ob carmen. 2. ff. d. testib.

L VI.

Qui & damnatus judicio privato veluti furti, injuriarum &c, & damnationem sequatur infamia testis adhiberi non potest, ne in judicio quidem, nedum in testamento. arg. d. l. quasitum. 13. juncta l. 2. d. s.

B 2

Qui

L VII.

Qui ob causam tantum privatam nequeunt esse testes in eo de quo agitur testamento, sunt testes domestici ut filius fam. i. §. in testibus, §. I. b. item, heres in eodem testamento scriptus, ejusq; pater, item fratres in potestate parentis cum herede constituti, §. sed neg. 10. I. b. v. saepe ab. Conf: Maxim: i. von Testamente. §. die Notarien vers. auch die so in Gewalt.

L VIII.

Nihil tamen impedit quod minus in testamento alieno pater & filius fam. qui in potestate ejus est, item duo fratres, qui in ejusdem patris potestate sunt, testes adhibeantur. §. pater. 8. I. b. ad testium. 22. ff. b. t.

L IX.

Legatais quoq; & fideicommissariis, ut & aliis personis iis coniunctis, testimonium in testamento ab Imperatoribus haud denegatur. §. legatariu. n. I. l. dictantibus. 22. §. testibus. C. d. testam.

L X.

Tertium solenne testamenti scripti est ipsa testatio testatoris, qua testator productis tabulis coram testibus rogatis profiteretur, suam in istis tabulis contineri voluntatem, quam post mortem servari velit, l. hac consultissima 21. C. de testam.

L XI.

Solenne requisitum quartum est in fine testamenti, testium & quidem omnium, ut & ipsius testatoris subscriptio: si vero testatur literarum ignarus, aut morbo impeditus subscribere nequeat, adhibendus est §. testis, qui nomine testatoris subscribat. d. l.

L XII.

Quinto requiritur & omnium testium subsignatio. d. jam. l. quae fieri potest non tantum proprio, sed & alieno annulo. §. posse sunt 5. I. b. l. si unus. 12. C. d. testam. immo non duntaxat annule signatio, sed quolibet etiam signeto alio consveto. Ulp. int. ad testium. 22. §. signum. 5. ff. b. t. Hocq; comprobatum per aliquoties all. novellam constitu-

stitutionem Imperij Colonia Anno 1512, f. von Testamente. s. die Form
eines Testamentes/ & §. Es mögen auch.

L X I I I .

Sextum & ultimum testamenti scripti solenne est, continuatio
actus, nam, ut uno contextu i.e. uno eodemq; tempore, nullo alieno
actu (& sic nec contractu) interposito fiat. l. qui testamento. 20. S. &
veteres. 8. l. heredes. 21. S. f. ff. b. l. bac consultiſma. 21. C. d. testam.
Ecce nisi talis sit actus, quem vel testatoris vel testis urgens necessitas
exigit. v. de eo. l. cum antiquis. 23. C. d. t. Prædicta omnia solen-
nia compendio habentur. in d. Conſt. Imper. 1. von Testamente. §. die
Form eines Testamentes.

L X I V .

Hic jam paucis delibare placet, de testamento sine scripto
quod vulgo nuncupativum dicitur; cuius origo antiqua est. Hocq;
testamentum cum scripto non duntaxat habet commune, ut, 7. in eo
idonei & rogati testes adhibeantur, utq; uno contextu fiat. l. heredes
21. ff. b. & l. bac consultiſma. 21. S. per i. un. apationem. 2. C. de testam.
Sed etiam duo habet singularia. 1. quod in eo neq; scriptura neq; sub-
scriptione aut subſignatione testatoris vel testium opus sit. §. f. l. b.
& l. d. l. bac consultiſma. d. §. 2. quod fiat nuncupatione ita ut testator
supremam suam voluntatem palam. i. e. ut à testibus exaudiri posse,
nuncupet. d. l. heredes. 21. l. in testameniu. 26. C. de testam.

L X V .

Quæſtionis est, si testator plures heredes palam nuncupare vo-
luerit, & qvibusdam nuncupatis priusquam coeteros exprimeret, ob-
mutuerit, vi morbi subita, sive epilepsia sive apoplepsia impeditus,
ita ut nihil proloqui amplius potuerit, utrum testamentum ejus ex
parte valeat nec ne? R. quod non: perl. si nq; 25. ff. b. ratio hujus
habetur. in. l. jw noſtrum. 7. ff. d. R. f.

L VI .

Sufficiat hactenus dixisse de testamentis paganicis solennibus
& perfectis: jam agamus de testamentis imperfectis & minus solen-
nibus. Et primò qvidem de paganicis minus solennibus, postea de
militaribus.

LXVII.

Imperfectorum (sc. ratione solennitatis non voluntatis) testamenterum primum nobis erit parentum inter liberos conditum, quod qvibuscunq; etiam verbis vel scriptis à parentibus utriusq; sexus inveniatur omni nō custodiendum, l. filij patrū. 16. l. f. C. fam. berc. l. hac consultissima. 21. §. ex imperfecto, l. C. de testam: si modo ei subjiciatur vel ipsius parentis, vel omnium inter qvos fit partitio liborum, subscriptio, Antb. simo. C. fam. berc. Nov. 7. c. 1.

LXVIII.

Per nuncupationem verò inter liberos quod fit testamentum, in eo differt, à scripto quod in illo reqvirantur ad minimū duo testes, sive ad id specialiter rogati sive vocati, sive aon, & perinde admittuntur foeminae atq; masculi. Gail. 2. O. 112. n. 10. 4. 5. & 6: hoc autem dummodo manu parentis non signis. Nov. 107. c. 1. sit. scriptum absq; testibus valet. Antb. quod sine. C. de testam. Const. Maxim. Col. anno 1512. c. vñ Testament. S, vnd sollen die Notarien. vers. aber im Testamente.

LXIX.

Minimè etiam refert, licet in eo ex partibus inæqualibus (salvā tamen semper legitimā) liberi sint instituti heredes. l. parentibus. g. C. d. in offic. test. Novell. 107. c. 1. l. filij. 16. l. f. C. fam. berc.

LXX.

Si verò in hujusmodi parentum voluntate, liberis sit alia persona extranea mixta, certum est eam voluntatem, quantum ad illam duntaxat permixtam personam, pro nulla habeti, inquit Imper. in l. bac consultissima. 21. §. ex imperfecto, l. C. de testam.

LXXI.

Quando ad pias causas testamentum minus solenne & imperfectum sit, tunc duo sufficiunt testes cujusq; sexus. Tiraq. de privil. pie cause pr. c. etiam non specialiter rogati. c. esses. 10. c. relatum. 11. Ext. 4. test. Tiraq. d. l. pr. 1. qvorumè subscriptione aut subsignatione. arg. l. f. C. fam. berc. & Antb. quod sine. C. de testam, item nec temporis inscriptione opus. Tiraq. d. l. pr. o.

Sub.

LXXII.

Subscriptio sola manu testatoris in piis causis sine testibus facta vim quoq; testamenti obtinet. *Tirag. pr. 4.* & scriptum testamentum ad pias causas notis sive usitatis sive inusitatis, modo possit quoq; modo constare de voluntate testatoris, semper valet. *d. l. f. C. fam. ercise. Tirag: pr. 12.* non verò ratione voluntatis Imperfectum testamentum piarum causarum valere, contra Bart. *in l. in testamento. 38. ff. d. fideicom. libert. & Covarr. ad c. relatum. n. n. 14. ext. de test. recte statuimus. l. 1. ff. b. Boët. dec. 93. n. 10. & dec. 240. n. 5.*

LXXIII.

Rustici etiam propter simplicitatem & literarum imperitiam minus solennia testamenta facere valent: quippe iis à Justiniano solennes formulae, qvæ ultimis elogii prescriptæ sunt, dummodo adsint qvinq; testes, remittuntur. *l. ff. C. d. testam.*

LXXIV.

Tempore pestis nimiopere grasantis conditum testamentum coram duobus vel tribus testibus, fide dignis & omni exceptione majoribus, subsistere posse, itaq; in camera Imperiali sèpe judicatum esse scribunt. *Myns. cent. 1. O. 96. & Gail. 2. O. 118. n. 13. & 1. O. 92. n. 7. Man. adjm Lub. part. 2. t. 1. art. 2. n. 44. & seqq.*

LXXV.

Solennitate testamentorum præcipue quo ad testes, eorumq; subscriptionem & sigilla non indigent testamenta, qvæ Principi offeruntur, & qvæ apud acta Judicis fiunt; nam tunc cessat omnis fraudis & falsitatis suspicio propter fidem publicam. *l. omnium. 19. C. d. testam. Mins. cent. 6. O. 29. n. 5.*

LXXVI.

Nunc postquam de testamentis paganis tam perfectis qvam imperfectis, & minus solennibus exposuimus, ratio ordinis reqvirit, ut etiam aliquid de altero genere testamenti imperfecti, qvod militare perhibetur, dicamus.

Mili-

LXXVII.

Militare autem testamentum est ultima voluntas qvōq; mo-
do de rei familiaris divisione, à milite in expeditione facta. *l. l. l. in fra-
dem. 15. §. 1. l. ejus militū. 34 ff. d. test. milit.*

LXXVIII.

Causa efficiens hujus testamenti, aut est remota aut propin-
qua.

LXXIX.

In remota causa singulare est, qvōd hoc testamentum ejusq;
factio, non ex jure gentium, sed constitutionibus Principum descen-
dat. *l. l. & 1. ff. b. t.*

LXXX.

Hujus testameati causa propinq; est miles testator, sine quo
hoc testamentum non constituitur.

LXXXI.

Omnes autem milites testari possunt, qui non prohibentur: &
plerumq; militare testamentum facere posuat qui non paganum.

LXXXII.

Crimine capitali milites damnati (secus in pagano v. 18. 32.)
jus testamenti faciendi habent. *l. si q̄n. 6. §. sed & si. 6. ff. d. injust. rupt.
irrit. fact. test. sed non aliter nisi tribus his intervenientibus. 1. si ex mi-
litari delicto condemnati fuerint. 2. si sacramenti fides rupta non
sit. 3. si de bonis duntaxat castrensis testentur. l. ex militari,
ii. ff. b. t.*

LXXXIII.

Qvōd si de aliis qvām castrensis bonis testari cupiunt necesse
est, ut is qui condemnavit, in sententia potestatem eis testandi fecerit.
d. l. si q̄n. 6. d. §. 6. d. t.

LXXXIV.

Impuberis olim Tribuni numerorum fieri & tum sibi testamen-
tum facere petuerunt. *l. f. C. b. t.* Sed hodie nec communi nec mili-
tari jure testantur, *§. præterea l. l. Q. N. E. P. F. T. l. si Refut. 4. &
d. l. f. C. b. t.*

Dubi-

LXXXV.

Dubitans de statu suo miles an sui juris sit, vel an pater suus vivat, si testamentum fecerit, in ea conditione est, testamentum ut valet. l. ex militari. n. S. 1. ff. b. t. de captivo. y. s. b. 28.

LXXXVI.

Si filius fam: ignorant patrem suum deceperit, de castrensi pecunio in militia testatus sit, non pertinebunt ad heredem ejus patris bona, sed sola castrensis. d. l. f. S. f.

LXXXVII.

Casu aliquo veluti morbo aut ex vulnere mutus & surdus factus miles & literarum gnarus, ultima recte relinquere potest. l. discretis. 10. C. qui test. fac. poss.

LXXXVIII.

An vero mutus & surdus ex accidentia factus literarum vè im-
peritus, jure militari in castris recte testari valeat, inter Dd. controver-
titur? nos à partibus affirmantium statuus. S. qv in immo. 2. l. l. jre
re militari. 4. ff. b.

LXXXIX.

Liberum militibus arbitrium qvibus velint relinquendi, supre-
mis suis iudiciis concessum est, nisi lex specialiter eos prohibuerit.
l. ex testamento. s. C. b.

X C.

Itaq; miles servum sine libertate (non vero cum libertate. l. ex
bis verbis. y. C. b.) : nisi id fiat in fraudem creditorum, quo casu am-
plius quam unum necessarium heredem nec instituere potest. l. in
fraudem. 17. in pr. ff. b. t.) haut recte instituit heredem. l. idem est. 13.
S. si servum. 2. ff. b.

XCI.

Deportati licet intuitu juris civilis in testamento nona l. i. C.

C

de

de hered. infit. tamen in testamento militis recte heredes institui pos-
sunt. l. idem est. 13. §. & deportati. 2. ff. b.

X CII.

Liberos suos non tenetur miles instituere vel nominatim exhe-
redare : sed impunè eos præterire , vel sine causa quoq; exheredare
potens est. §. sed si. 6. 1. d. exhered. liberal. sicut certi. 9. cmls. seq.
C. b.

X CIII.

Heres & jure militari ex certo tempore & ad certum tempus re-
quie instituitur. l. in fraudem. 15. §. miles. 6. l. miles. 41. ff. b.

X CIV.

Miles verò tam sibi quām filio jure militari testamentū facere
potest, & soli filio tametsi sibi non fecerit. d. l. in fraudem. §. item. 7. l.
merib. 2. §. qvīq; 1. ff. b. vlg: & pup: substitutum.

X CV.

Tum etiam post pubertatem , liberis suis substituere potest ;
idq; verbis directis & civilibus. l. centurio. 15. ff. d. s.

X C VI.

Præcipuum militaris testamenti privilegium quoq; est , quod
miles ex certa re heredem instituere , & sic pro parte testatus , pro parte
intestatus decidere queat. l. similes. 6. ff. b.

X C VII.

Absq; omnibus solennibus juris civilis etiam milites testantur.
pr. l. l. 1. ff. b. h. n. c. eod. Hocq; jus non duntaxat militibus in acie
constitutis , sed & limitaneis , & stationariis propter eandem rationem
concessum est. l. 3. C. 6. Nov. 74. c. 3. §. qvīq; .

X C VIII.

Haut quoq; inter esthilitia testamentum in chartis , an in vagi-

na

na, aut clypeo, literis sanguine suo rutilantibus, aut in pulvere gladio
suo sit scriptum. *l. milites. 15. C. b.*

XCIX.

Per nuncupationem verò militis testamentum quod sit, omnino testibus est probandum; quod nimis testator serio ac animo testandi illud pronunciaverit. *l. Divus Trajanus. 24. ff. b.* Nam alias saepe homines ubi alterius erga se merita commemorant & agnoscunt, civiliter magis quam ex animo dicere solent, se vicissim bona sua ad illum redire velle. Et multi in conviviis ubi vino incaulerunt, & in familiaribus sermonibus, ubi extra consilij metas evagati sunt, ea promittunt, quae sobrii & animo praesente servare recusant. *Obrecht, in diff. d. mil. disc. 1b. 766. & 767.*

C.

Deniq; Iure militari testamentum non uno contextu quoque fieri potest: quia testamentum militis, sine ulla solennitatibus & quoquando consistit. *pr. l. l. 1. ff. & l. 3. C. b. 1.*

Corollaria.

1. *An Electio Imperatoris ex gente solummodo germanica fieri debeat?* Affir:
2. *An Imperator Romanus quotam Imperij, suo arbitrio alienare valcat?* Neg:
3. *An Imperator noster Auream Bullam abrogare potens sit?* Neg:

4. *An*

4. *An solius Imperatoris ad nova vectigalia instituenda, & vetera augenda, sufficiat consensus ? Neg :*
5. *An Elector ultima condens, in iis tutelam hereditatis Electoralis impuberis agnato seniori atque proximio, ex lege Imperii publica debitam, auferre queat ? Neg :*
6. *An repressalia concedenda ? Et an iure defendi possint ? Affir :*
7. *An sumptus quos pater pietate debita ductus filio suo peregre agenti, vel in patria literis operam danti suppeditavit, filius conferre tenetur ? Neg :*

Sit Deo laus & gloria.



Töbingen
1646

Ad Dn. Respondentem.

De TESTAMENTIS, TÖBINGI, lemmata profers:
Lemmata, quæ studij sunt monumenta tui.
Non monumenta modo, sed & ornamenta vocanda.
De Testamentis hæc tua scripta puto.
Perge juventutem sic exornare: seqvetur
Dulce decus, nec non pulchra senecta. Vale.

Henricus Rahne/ J. D.

Prof. & p. t. Rector. Acad. Rostoch.



Steig auf du Edler Geist zur Kunß und Eugend/
Sterb ab der Sterbligkeit/ ergib die Jugend
Der hohen Wissenschaft/ die schwache Welt
Stürzt in dem Blick in grund/wenn sie die Kunß nicht
helt.

Drumb hastu deinen Sinn rechte woll geschwungen
Auffworts zur ewigkeit/ vnd bist gedrungen
Schon durch viel Stussen ein/ zu solchem Preis,
Der nicht verrotten kan/der nicht von Würmlich weiss.
Denn das iss doch dadurch wir Ewig bleiben/
Vnd besser als ein Erz vnd Marmor schreiben
Wie wir alshier gelebt/ wenn der Verstand
Der Kunß gewiedmet wird zu ihrer oberhand.
Selt dean der schwache Leib schon in die Erden/
So muß es kundbar doch der Nachwelt werden
Welch eine Seel' es sey/ so drinn gewohnt/
Der mit Unsterbligkeit wird ihre Müh belohnt.

Wenn


Wenn Töblings Lust die er bisher getragen
Die Unvergänglichkeit auch zu erjagen /
So Ihn vornemblich auch dazu erweckt /
Das Er ist seinen fleiß uns öffentlich entdeckt.
Wenn die so wachsen wird / vnd ferner blühen
Derß amb die Grabschrifte er sich nicht bemühen.
Denn man wird russen doch / das Er noch lebt /
Wenn ihn schon von der Welt sein graves Alter habe.

M Elias Sigismund Reinhart.

TÖRINGI, Aonij pars non ingloria cœtus,
Quem fovet in gremio Baubica nostra Themis;
De Testamentū docte dum dissertis, & qvæ
Horum jura sient, enucleare studies :
Rem minus ingratam facies patriæ atq; parenti,
Hincq; tibi magnum surget in orbe decus.
Macte animo, viridemq; libertis in sume juventam,
Pro meritis olim præmia grata feres.
Commensali ac amicos suo fraterne
dilecto app.

Matthias Weinmann
Soliqvell. March.

Grandævus senio, quem vel Prudentia laudet,
Et parta clarus Nobilitate, Parenz.
Ad subolis laudes doctæ revirescit & inter-
Difficiles gemitus gaudia mille trahet.
Fortunate senex Tibi quid non omnia sponden
Cui vitrei rident sidera clara poli
Filius & Themidis studium testatur abunde
Possint grandævum qvæ recreare patrem.
Optimi adfectus & debiti cultus causè Nobilis-
fimo Respond. L. M. Q. extemp. app.
C. Thamnitius Thorunensis.



LXXII.

sola manu testatoris in piis causis sine testibus facta enti obtinet. *Tirag.* pt. 4. & scriptum testamentum nisi five usitatis sive inusitatis, modò possit quoqvo e voluntate testatoris, semper valet. *d. b. f. C. fam.* 12. non verò ratione voluntatis imperfectum testa-causarum valere, contra Bart. *in l. in testamento.* 38. 1. & Covarr. ad c. relatum. 11. n. 14. ext. de test. rectie b. Boët. dec. 93. n. 10. & dec. 248. n. 5.

LXXIII.

m propter simplicitatem & literarum imperitiam stamenta facere valent: quippe iis à Justiniano solen- ultimis elogii prescriptæ sunt, dummodo adsint ittuntur. *l. ff. C. d. testam.*

LXXIV.

estis nimiopere grasantis conditum testamentum tribus testibus, fide dignis & omni exceptione ere posse, itaq; in camera Imperiali sàpè judicatum s. cent. I. O. 96. & Gail. 2. O. 118. n. 18. & I. O. 92. n. 7. 98. 2. t. 1. art. 2. n. 44. & seqq.

LXXV.

testamentorum præcipue quo ad testes, eorumq; sigilla non indigent testamenta, qvæ Principi offe- dacta Judicis fiunt; nam tunc cessat omnis frau- dicio propter fidem publicam. *l. omnium.* 19. *C. d.* 6. O. 29. n. 5.

LXXVI.

vam de testamentis paganiciis tam perfectis qvam aus solennibus exposuimus, ratio ordinis reqvirit, altero genere testamenti imperfecti, qvod militare us.

Mili-